

tionem recipere. Insuper^a hac decretali pagina prenominate cenobio confirmamus, donamus et stabilimus^b omnia, que ipsi ab antecessoribus nostris, imperatoribus seu regibus, aliisque quibilibet fidelibus rationabiliter collata aut quolibet modo iuste acquisita aut permutata sunt, que sita sunt in episcopatibus seu comitatibus^c, Eporeiensi videlicet et Taurinensi^d, Vercellensi, Novariensi, Mediolanensi, Ticinensi^e, Terdonensi, Astensi, Albensi, Aquensi, Savonensi, Albigaunensi^f, Ferrariensi, Bononiensi, Augustanensi, Laudensi ac Cumano atque Adriensi ac nominatim, quod idem monasterium possedit in Montanario et in Curte regia^g ac in Verano et in Cauda^h et in villa Vulpiani et castellum Lumbardori et villam que dicitur Arusca et Falona et Calpis et Serralonga et Villanova et Mayeranum, universaque predia, que possidet intra fines Morocium et in Clusa et in Cavalla et in villa Quadragintaⁱ et in Dusicino et generaliter quidquid ubique locorum in toto imperio nostro de iure possidet idem^k monasterium in^l cellis, ecclesiis, capellis aut in civitatibus^m, castellis, burgis, villis cum omnibus suis appenditiis videlicet areisⁿ, edificiis, pratis, pascuis, alpis, silvis, venationibus, viis et inviis, ripis, rionis, aquis aquarumque decursibus, portubus, piscationibus, exitibus atque redditibus, mercatis, teloneis, molis, molendinis, utriusque sexus mancipiis, quesitis et acquirendis et cum omni utilitate, que nunc aut deinceps inde pervenire poterit^o. Preterea constituimus^p, ut quecumque predictum monasterium Fructuarie de possessionibus suis iniuste perdidit sive propter imperatorum aut regum absentiam sive propter rectorum negligentiam aut raptorum violentiam, non obsit ei ulla longi temporis prescriptio, quominus^q veraci instrumento seu legitimo testimonio possessionem suam iniuste alienatam reclamare^r poterit, ut ei restituatur. Precipimus quoque, ut que possidet idem monasterium Fructuarie in Paterniano in castello, villa et curtibus^s, absque omni vexatione et quiete possideat^t. Statuimus nihilominus, ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, nulla ecclesiastica laycalisve persona, parva seu magna, presumat pre-

a) fehlt 1. 2. 3. b) fehlt 3; *donandi, confirmandi et stabiliendi* 1. 2.

c) *in episco Eporeiensi videlicet* 3; *in convallibus seu comitatibus Ipporegiensi diocesis videlicet* 1. 2. d) *Novariensi* 3. e) *Taurinensi* 3; *Trivenensi* 1. 2. f) *Ianuensi* 1. 2. 3. g) *regio* 3. h) *et Cand. castellum* 3. i) *in villa et in Quadraginta* 3; *in villa Aquantati* 1. 2. k) *in mon.* 1. 2. 3. l) fehlt 1. 2. 3. m) *civitate* 1. 2. 3. n) *arris* 3; *aris* 1. 2. o) *pervenerit* 3. p) *censem* 3; *consens.* 1. 2. q) *quoniam in* 1. 2. 3. r) *proclamare potuerit ei* 3; *proclamare poterit ei* 1. 2. s) *partibus* 1. 2. 3. t) *possident* 3.